

ctor; sed ad comprimendam blateronum garrulitatem necessaria: quibus tandem hoc unum addam: amantibus hæc non fastidientibus fuisse præparata.

Nunc tecum res est. Opportunum gratissimumque Tibi supplementum hoc, ni fallor, accipies; cum noveris ea, quæ in hoc Tomo continentur, antiquitate, ac Litteratorum Virorum commendatione præstantia.

Ermoldi Nigelli Abbatis Carmen Elegiacum de rebus Ludovici Pii Augusti librum aperit, quod ex Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca cum ceteris optimæ notæ veterum scriptis in vulgus emittendum selegerat illustris memoriæ Vir *Joannes Benedictus Gentilottus* olim Cæsareæ Bibliothecæ Præfectus, mox in Sacræ Romanæ Rotæ Auditorium cooptatus, & postremò Episcopus & Princeps Tridentinus, cui vivo immatura mors bonorum omnium dolore laudem hanc invidit, mortuo nos debitam concedimus, ejusque in partem venisse profiteamur Illustrissimum Virum *Pium Nicolaum Garellium* Equitem Ordinis Christi Consiliarium atque Archiatrum Augustissimi CÆSARIS eidemque Bibliothecæ curandæ Gentilotto subrogatum: is enim ad promerendum officium in amicum olim optimum, & in Palatinos instantes expeditus, donum à Munificentissimo CÆSARE impetravit,
da-